

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XII. Continens Historiam, De Fuga Pueri Jesu In Aegyptum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

omnes non adfuerunt. Ad illos igitur omnes, quos sciebat Hanna Jerosolymis expectare redemtionem postea accessit, & locuta est illis de puer illo, quem Simeon in templo ulnis tenuerat. Et hoc modo, per totam urbem & ultrius divulgata est fama eorum, quae in templo gesta fuerant. Et inde Herodes intellexit, se à Magis delusum esse.

Porrò obiter observetur & hoc, ubi Lucas dicit: (*Hanna loquebatur de illo,*) quod proximum antecedens est, (*confitebatur Domino:*) Ergo, puerum istum agnoverit Dominum, & de illo, ut de Domino loquuta est ad pios. Ita ipsa Grammaticæ minutæ non sunt ociosæ.

Dicit autem Lucas (*multos expectasse redemptionem in Hierusalem:*) quia in tanta caligine, qualis tunc erat, in illo populo locus natalis Messiae vulgo non fuit notus, Matth. 2. vers. 4. Nota autem erat illa promissio de adventu Messiae ad templum, Agg. 2. vers. 7. Movebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus, &

implebo domum istam gloria. Et Isa. 60. v. 1. Illuminare Hierusalem, quia gloria Domini super te orta est. Et propter hanc causam Simeon in templo tenens puerum Iesum, vocat gloriam plebis Israel: Non igitur velim cum Iosepho dicere templum secundum à fundamentis ab Herode dirutum, & novum planè exadificatum fuisse: quia secunda domus, quæ tempore Aggæi & Zacharie ædificabatur, debebat gloria ejus, qui desiderium omnium gentium vocatur, impleri. Sed hoc verisimilius est, Herodem nova quedam ædificia adjecisse & vetera exornasse. Omnipotè enim necesse est fixum manere vaticinium, Agg. 2. v. 7.

Hac tenus ergo descriptæ sunt tres valde illustres testificationes de nato Messia, non profectæ ab hominibus, sed revelatae illæ fuerunt divinitus. 1. pastoribus per Angelos. 2. Magis per miraculum stellæ. 3. Simeoni & Hanne per oraculum Spiritus propheticæ.

CAPUT XII.

CONTINENS HISTORIAM, DE FUGA PUERI JESU IN ÆGYPTUM.

RATIO ORDINIS.

Post Historiam purificationis, hæc accidisse non est dubium. Nam juxta legem usque ad quadragesimum diem puerpera domi se continebat. Et Matthæus dissentè addit, post digressos Magos Josephum mandatum de fuga accepisse. Illud vero ordinem historiarum aliquo modo controversum facit, quod Lucas in conclusione historia purificationis addit: (*Postquam perficerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galileam, in civitatem suam Nazareth.*) Inde enim Epiphanius statuit ipsos post purificationem statim reversos in Galileam, & per biennium priusquam Magi venirent habitasse Nazarethæ: singulis vero annis, circa tempus primi census, ad consimilem annum panegyrim rediisse Bethlehem, & hac occasione, Magos, post biennium, puerum Iesum cum matre invenisse in civitate Bethlehem. Sed hæc sine ullo vel Evangelicæ, vel alterius historiae testimonio, dicuntur. Alii quidam, qui adventum Magorum ante purificationis historiam ponunt, sentiunt, parentes peractis purificationis ceremoniis cum puer rediisse Nazaretham, & ibi paulo post angelum Iosepho attulisse mandatum de arripienda fuga. Sed & hæc opinio circumstantiis historiae non satis convenire videtur. Quia enim illis diebus Herodes fuit Hierosolymis, Matth. 2. v. 2. celebris fama, de illustribus testimoniis die purificationis in templo publicè editis, non potuit diu ipsum latere. Cumque Joseph accepto angeli mandato statim, & quidem noctu, ne in manus Herodis incideret, secesserit, non videtur

verisimile, ex Nazarethæ per totam Judæam, cum quidem circa Hierosolymam, ubi Herodes erat, transeundum esset, Josephum, ut manibus Herodis puerum subducere, fugisse in Ægyptum. Et quod præcipuum argumentum est: Iosephus rediens ex Ægypto non voluit, nisi angelo jubente, in Galileam migrare, cum exsistaret Messiam, vel in civitate Davidis, vel in parte aliqua tribus Iuda educandum. Ergo nec prius privato suo consilio statim post purificationem Nazaretham secessisse videtur. Solet autem Lucas historias aliquando ita contexere, ut scribat post hoc secutum illud, insinuans interponenda ea, quæ ab aliis Evangelistis, tanquam interea facta, annotata sunt. Sicut igitur c. 4. v. 14. finitis temptationibus Christi, Lucas mox subiungit: Et regressus est Iesus virtute Spiritus in Galileam. Quod certè interjectis ex Johanne multis aliis intelligendum est, ut quando regressio illa facta sit ex aliis Evangelistis summaratur. Ita hoc loco dicit, parentes peracta purificatione reverlos Nazaretham: interjectis scilicet illis, quæ sciebat & legerat à Matthæo descripta. Atque ita ex Matthæo sumendum est, quomodo & quando post purificationem in Galileam redierint. Illa igitur clausula ex Luca poterit contextui Matthæi, in forma Harmoniæ, commodissimè hoc modo inseri: (*Digressis autem Magis, & cum perficerent omnia secundum legem Domini. Ecce angelus Domini, &c.*) In quo vero loco angelus Josepho mandatum de fuga dederit & unde Joseph fugerit, certò non constat. Quidam sentiunt in civitate Bethlehem hoc factum, statim post Magorum discessum: Et Mariam prius voluisse ritus purificationis perficere. Sed Matthæus

rhæus dicit, Josephum statim illa nocte, quando mandatum accepit, fugam arripuisse. Videtur itaque, nocte purificationem sequente, angelum Josephum Hierosolymis apparuisse, & inde ipsum statim fugam arripuisse: nisi quod seræ portarum Hierosolymitarum describuntur obser-
vare, Psal. 147. v. 13. ut noctu inde fugere non potuerit. Sunt igitur qui sentiunt, quod juxta

Lucam Joseph fuerit in itinere redditurus ex Hierosolymis in Galilæam, & in illo itinere ipsum mandatum fugæ accepisse. Sed de his conjecturis quisque ut videbitur judicet. Noctu certè tempore pacis patuisse ingressum & egressum ex urbe Hierosolymorum, ex historia passionis colligitur.

HISTORIA FUGÆ JOSEPHI CUM PUERO JESU, ET MARIA MATER EJUS, IN AEGYPTUM,

Matth. 2.

13. Αναχωρησάς ἐπί τοῦ διπτύχου, (καὶ οὐ εἶπεν απόντα πρὸ τῆς τοῦ κυρίου Κυρίου) οἶδον, αὐγὴν Θεοῦ καὶ φαινεται καὶ οὐασ τὸν Ιωνᾶν, λέγον, Εξερθέσθαι τὸ παιδίον καὶ τὸν μητέρα αὐτοῦ, καὶ φεύγεις Λιγυστῶν καὶ θαλασσῆς εἶναι, εἴς τον εἰπώσι. Μελάχιδης Ηρώδης γένεται τὸ παιδίον, ἀπό τοῦ αὐτοῦ.

14. Οὐ γέρεσθαι, παρέλαβε τὸ παιδίον, καὶ τὸν μητέρα αὐτοῦ νυκτα, καὶ ανεχωρεύεις εἰς Αἴγυπτον.
15. Καὶ λίγη ἔνας τῆς πελεύσης Ηρώδου, οὐαπληρώθη τὸ ἥμερον τοῦ Κυρίου Διοχετεύσας Φητί, λέγον, Εξ Αἴγυπτου εκαλεστα τὸν μαθ.

13. Digressus autem illis, (Et cum perfecissent omnia secundum legem Domini) ecce angelus Domini apparet in omnibus Ioseph, dicens: Surge et assume puerum, ac matrem illius, Et fuge in Aegyptum, Et esto illi donec dixerim tibi, futurum est enim, ut Herodes querat puerum, ad perendum eum.

14. Ille vero excitatus, assumpsit puerum, et matrem ejus nocti, Et secessit in Aegyptum.

15. Et fuit illis usq. ad obitum Herodis, ut perficeretur, quod dictum fuerat, a Domino, per Prophetam dicentem. Ex Aegypto vocavi filium meum.

Periodica Historia, de fuga Josephi, cum puerō JESU, Et Maria matre ejus, in Aegyptum.

Hactenus gloria unigeniti à patre radios quosdam, aliquot illustribus testificationibus, coepérat exercere. Sed quia nondum erat tempus, ut JESUS manifestaretur esse Messias, Deus igitur, cum nativitatem ejus satis multis testificationibus patefecisset, ipsum per fugam, in Aegyptum subducit ē conspectu populi Israel; ut fide expectarent manifestationem ejus, quem natum jam esse tot illustribus revelationibus confirmatum erat. Servandum enim fuit decorum (ut sic appellem) temporis exinanitionis, ne sensibus externis ex magnificientia, sed in abjecta infirmitate, fide ex verbo, agnosceretur esse Messias. Quia scriptum est: Beatus qui non fuerit offensus in me.

Occasio autem fuga hæc fuit, Scribæ, sicut ex Josepho lib. 17. cap. 3. colligi potest in explicazione vaticinii Michææ, ostenderant, Dei decreum esse, ut nato Messia sceptrum regni ad illum ita transferret, ut omnes Reges hunc solum adorarent. Ps. 72. v. 11. Hoc livè Herodes ita accepit: sive Pharisæi, ut erant carnalibus opinionibus ebrii, ita interpretati sunt, fore ut externum regnum ab Herode & univerla ejus cognitione auferretur. Hostili igitur animo Herodes cœpit in propriam etiam familiam sàvire, præcipue verò meditari excidium pueri JESU, ab illo die, quo primùm ex Magis de stella audierat, & ex scribis locum Michææ cognoverat: sed quod machinabatur, insidiose dissimulabat, ut data occasione commodius illiud perficere posset. Deus itaque maturius, cum propter testimoniorum celebritatem Herodes, metu populi, nihil dum tentare audebat, puerum subducit, ut insidias exploratorum ejus præveniret.

Porro, ne fuga hæc videretur dedecori esse huic pueru, qui Christus Dominus esse debebat, excogitata sunt varia miracula, quæ dicerentur esse facta in ipsa fuga & in Aegypto: ut quomodo in deserto à latronibus comprehensi & mirabiliter liberati fuerint, per illum latronem, qui postea Christo crucifixo à dextris suspensus fuit. Sozomenus etiam ex vulgi narratione refert, Hermopoli, civitate Thebaidos, proceram quandam arborem usque ad terram pueri JESU, cum matre prætereunte, se inclinasse, ut gestum adorationis præberet: & illam ex hac inflexione vim medicam tantam accepisse, ut si tantum vel folia vel cortices ægrotantium collo alligentur, statim pulso morbo sanitas restituatur. Alii narrant, ingrediente Domino in Aegyptum universa Idola corruisse. Ut sicut, egreditibus filiis Israel, nulla domus fuit, in qua non jaceret mortuus: Ita Domino ingrediente, nullum templum fuerit, in quo non jaceret Idolum aliquod collapsum. Et huc accommodarunt sententiam Isaï. c. 19. v. 1. Stapulensis citat ex Petro Martyre, locum illum in Aegypto, ubi puer JESUS exulavit, vocari nunc Mataream, quæ sita sit ultra Cairum decem millibus passuum, ac Mauros ibi perpetuam lampadem religionis ergò servare. Ostendi ibi horum arbicularum ballami; quæ à pueri JESU plantatae & ex puteo vicino irrigata fuerint. Ita fit quando à verbo disceditur.

Hæc omnia excogitata sunt eo animo, quod existimârunt indignum esse majestate hujus pueri, clandestina fuga saluti sua consulere, adversus vim & insidias Herodis. Ideo cogitabantur.

runt, fugæ indignitatem miraculis quibusdam esse quali obruendam. Sed historia planè illam ipsam ob causam & facta & descripta est, ut ostendat, quomodo gloria unigeniti a patre, qua hæc tenus aliquos radios exeruerat, (specie infirmitatis & exinanitionis) quasi nube nunc rursus tegatur & occultetur: ut ita regni sui, quale futurum sit, specimen præbeat. Non igitur fingenenda sunt miracula, sed inspicienda est cum admiratione summa exinanitio filii Dei, propter nos suscepta, ut doceat, qualis sit species regni ipsius in hoc mundo, & ita plus consolationis dabit hæc historia.

Angelus igitur apparet Josepho in somnis sicut antea. Et tunc quidem nunciabat conceptum esse è Spiritu sancto: cuius nomen fit Immanuel, hoc est, Deus fortis incarnatus. Jam verò affert ipsi mandatum de fuga capessenda, & rationem addit: (*futurum, ut Herodes querat puerum, ad perpendendum ipsum.*) Et fieri potuit quod Josepho hoc acciderit præter opinionem, ut qui aliam persuationem de iujus pueri regno conceperat. Sed quod Simeon paulo ante concionatus fuerat, de contradictione & de gladio, illud mox re ipsa ostenditur. Atque ita historia monstrat hanc observationem. Deum paterna sollicitudine hunc ordinem servare, quod electis suis non imponat crux & persecutionem, nisi prius verbo eos præmonuerit, & Spiritu præmunierit: Amos tertio, versus septimo. Ideo ante fugam in Ægyptum, Simeon concionatur de signo contradictionis, & de gladio. Est & hic processus DEI notandus, quod post verbalem concionem de cruce, non à longe subsequatur realis, (ut sic loquar.) Simeon dixerat de signo contradictionis: Mox Angelus addit gloriam, futurum, ut Herodes querat puerum, ut perdat ipsum. Hæc dura sanè est contradicatio. Et Maria, in fuga per desertum, & in Ægyptum, primitias gustare coepit de gladio transeunte animam. Est quidem puer hic positus in ruinam, & satis potens ad conterendos adversarios, Matth. 21. v. 44. Non autem exerit potentiam suam in conterendo hoste Herode, sed fugit: ut ostendat, esse jam tempus exinanitionis; & se non venisse animas perdere, sed salvare. Luc. 9. v. 56. Verè magna autem est exinanitio filii Dei, quod non tantum fugit, sed Josepho mandatur, ut ipse puerum periculo eripiat, & in locum tutiorem referat. Et sine dubio, magna cum admiratione Joseph & Maria, & in itinere, & in Ægypto hoc mysterium aspergerunt quod non Magi tantum jubentur fugere: sed ipse Salvator, qui est Immanuel, hoc est, Christus Dominus, vix natus, dum adhuc vagit in fasciis, cogitur fugere. Imò hominis mortalis, & quidem pauperis, & fabri, Josephi opera jubetur salvari ille, qui est Salvator omnium. Et longum sanè difficile ac pericolosum fuit iter, senem Josephum, cum recenti ac tenera puerpera, cum infante 40. dierum, ultraducenta passuum millia per vastam solitudinem, in Ægyptum, ad homines, prorsus ignotos fugere. Quoties putas, in illa nocte, cum fugam arriperent, & postea in itinere, & in Ægypto, cum puerum illum, qui est Immanuel, aspicerent, admirabundi cogitarent, de summa hac exinanitione? Sed tali & tam immen-

sa humiliatione, nostra superbia & inobedientia expienda fuit. Latet tamen sub illa infirmitatis specie divina potentia: de qua mox sequitur. (*Morsu sunt &c.*) Et licet Josephus sciat, puerum hunc esse Immanuel, & habere promissionem per angelum, quod redditurus sit ex Ægypto: tamen non negligit media, sed noctem, ut tempus ad fugam tutius, eligit. Nec in ea paupertate opus ipsis fuit longo tempore, ad colligendas sarcinas, sed ea ipsa nocte, quam mandatum accepit, fugit.

Semper autem utrumque conjungitur, & persequitur & consolatio: quod & quomodo in summis periculis, Deus suos curat & defendat. Cum enim infidela adhuc in corde Herodis latenter, & humanitas caveri non possent, Angelus monet, & Deum puerum & parentes periculo subtrahit, priusquam Herodes infidias suas in actum deducere possit. Sed modus defensionis mirabilis est: quod in fuga salus ostenditur, & per fabrum Josephum Christum Dominus servatur. Et tamen sub illa infirma defensionis specie, Angelus promittit, certum & præsens Dei auxilium. Inquit enim: *Eris in Ægypto, donec dilero tibi.* Ergo tutus perveniet in Ægyptum, & servabitur ibi, & in columnis inde redibit. Intellexit etiam Joseph ex illa apparitione & oratione angeli quod Angelos, non tam comites quam Duces itineris, & custodes in exilio illo, habituri essent. Deus igitur sub illa infirmitatis specie, non tantum in præsenti periculo, verum etiam in futurum prospicit puer & parentibus, sicut ipsis nihil tunc de fuga cogitantibus, etiam viatico prospexerat, per Magos. Hæc si in illa historia de fuga in Ægyptum, considerentur, non opus erit circumspicere ad fabulas miraculorum, quæ ex scripturis canonice nullam habent auctoritatem. Eadem ergo facilitate, juxta Hieronymum, contemnuntur, qua affectantur.

Sed difficilis videtur quæstio, quod Messias in Ægypto habitat, & ex Ægypto vocatur, cum terra Canaan idèo fuerit promissa, & postea multis stupendis miraculis filii Israel tradita, inter multorum hostium fremitus conservata, & tandem post captivitatem semini Abraham restituta, ut esset certus & notus locus ubi Messias nascetur, officium redemptionis perficeret, & regnum suum inchoaret.

Ne igitur Judæi prætenderent, Jesum non esse Messiam, quia in Ægypto fuerit, & ex Ægypto venerit, Matthæus ostendit, hoc non pugnare, cum Scriptura. Et quando status quæstionis ita ponitur, tunc facilis est sententia prophetica, quam Matthæus citat, accommodatio ad Christum. Coacta enim & contorta est eorum explicatio, qui contendunt, Oseeam in illo dicto, (*Ex Ægypto vocavi filium meum*) simpliciter, & propri nihil aliud, quam de solo puero Iesu, vocato ex Ægypto, vaticinari. Manifestum enim est, quod Deus ibi exprobret populo Israel multiplicia beneficia sua, inter quæ præcipuum est, educatione ex Ægypto: quibus opponit insignem eorum ingratitudinem, & cordis duritiem: & ideo poenas minatur. Allur erit Rex ejus, quomodo dabo te Ephraim? &c. Sed hæc insurgit Ju-

Iianus, clamitans Evangelistam ludificare Scripturam, quod ea, quae de populo Israel & de exitu ejus loquuntur, dicat impleta esse in pueru JEsu, cum fugeret in Agyptum, & inde rediret. Cogitetur autem de scopo Evangelista, & accommodatio plana erit. Deus elegerat & adoptaret semen Abrahæ, addita hac promissione: Semini tuo dabo terram hanc. Item: Ego Deus tuus, & semini tui post te, &c. Sed in ipsa quasi infantia, & pueritia hujus populi, Agyptus fuit ejus domicilium. Quod si queratur: cum extra terram promissionis, urgente necessitate, habitarent in Agypto, an tunc non fuerit electus populus? An verò hoc pugnabit cum promissione, de terra Canaan? Respondeat Propheta: Dilexi eum, & ex Agypto vocavi filium meum. In extremis enim populi angustiis: Exod. 4. v. 22. dicit DEus, filius meus primogenitus est Israel, dimittit filium meum. Et haec Evangelista ita ad hanc historiam accommodat, ut ostendat, nec absurdum, nec contra Scripturam esse, quod puer Jesus partem infantiae seu pueritiae sua in Agypto transegit. Populus enim Israel, erat filius primogenitus DEI, non natura, sed adoptione: propter hunc unigenitum Dei filium, & verum primogenitum JEsum Christum. Et hic est, propter quem populum Israel dilexit, & ex Agypto vocavit. Tanta enim est conjunctio capitum Christi, & membrorum ejus, ut quae de membris dicta sunt, recte ad ipsum caput referantur, ut in eo verè impleri dicantur. Et ut conformitas capitum & membrorum, de qua Paulus, Rom. 8. v. 29. eò manifestius ostenderetur, Matthæus sua hac allegatione talem instituit collationem. Israel natus est in terra Canaan, mox expellitur in Agyptum: ubi manet, donec, vocante Deo, rursus egrediatur. Et hoc fuit tempus infantiae seu pueritiae populi Israel: sicut Osee inquit, cum parvulus esset Israel: & Moses Deut. 1. v. 3. i. Portavit te Dominus, ut solet homo gestare parvulum filium suum. Ita puer Jesus natus in terra Canaan, in infantia fugit in Agyptum: ubi annos aliquot infantiae sua transegit, & mansit ibi, donec Deus per angelum ipsum rursus evocaret. Et quia oportet electos conformati imagini unigeniti, & verè primogeniti pueri JEsu. Illud ergo, quod Osee inquit: (Ex Agypto vocavi filium meum:) recte dicitur impletum esse. i. in populo Israel, ut in membris. 2. in ipso capite, pueru JEsu.

Utilis enim est Regula ad illustranda multa Scripturæ loca, quod prophetia seu Scriptura dicitur & intelligitur impleri quatuor modis.

I. Quando illud fit, quod Scriptura in loco allegato propria & simpliciter prædictum & intelligi vult. Ut cum Matth. 1. v. 23. Angelus dicit: Matriam esse gravidam ex Spiritu sancto sine con-

gressu viri: ut impleretur quod dictum est. Ecce virgo, &c. Ita vaticinum Mich. 5. v. 2. impletum est, cum nascetur JEsus in Bethlehem.

II. Dicitur impleri: quando simile aliquid fit, quod cognationem habet cum re præterita: ut de Rachel plorante liberos. Item, Matth. 13. v. 35. Aperiam in parabolis os meum.

III. Quando Scriptura non de uno aliquo certo facto loquitur, sed tradit doctrinam generalem, illa recte dicitur toties impleri quoties & in quibuscumque illud fit, quod Scriptura dicit. Ita Matth. 15. v. 7. Recte de vobis predixit Isaías: Appropinquat populus, &c. Matth. 13. vers. 14. Completur in illis prophetia Isaiae, auribus auditis & non intelligitis. Hæc enim prophetia dicitur impleri in aliis etiam auditoribus, & alio tempore. Joan. 12. v. 40. Actor. 28. v. 26. Rom. 11. vers. 8. &c.

IV. Multæ Scripturæ sententiae loquuntur, & de capite, & de membris. Recte igitur dicuntur impleri, quando accommodantur, sive ad membra, sive ad caput. Talis est haec sententia Osee, 11. v. 1. Et hoc modo multæ sententiae ex Psalmis accommodantur Christo.

Matthæus igitur citans dictum Prophetæ, tantum ad analogiam respicit. Sicut enim transmigratione Israëlis in Agyptum, odor doctrinæ divinitus patefacta etiam inter gentes sparitus est: Ita puer JEsus ostendit, se ita esse ministerum circumcisionis. Et quidem fuga in Agyptum figura fuit, fore ut Christus cum suo regno à Judæis variis persequitionibus repudiaretur, & hac expulsione gentibus regnum illud tradetur. Ideo Magos gentes, ab Oriente adduxit ad puerum JEsum: & in Agyptum, ad meridiem, mox puerum illum mittit, ut sint præludia vocationis gentium, videtur etiam in annis quedam analogia esse. Filii enim Israël annis 400. in terra non sua fuerunt, puer verò Jesus, ab anno Herodis 33. usque ad 37, quo mortuus est Herodes, in Agypto mansit: hoc est, per annos 4. Sed haec minutula sunt, quorum tamen observatio non injucunda est. Et quia eductio Israëlex Agypto figura fuit, redemptionis à peccato, & morte æterna. Ideo per illud desertum, puer Jesus in infantia peregrinatus est, per quod filii ex Agypto educti sunt in terram promissionis. Cumque nostro loco legem subiturus esset, transit loca illa, ubi Lex in Sina lata, ubi serpens in deserto exaltatus, ubi primum Pascha matatum, & sanguine ejus postes aspersi fuerunt, contra angelum vastatorem.

* * * *



CAPUT XIII.
CONTINENS HISTORIAM, DE MISERABILI
CÆDE INFANTUM BETHLEHEMITICORUM,
MATTH. 2.

RATIO ORDINIS.

Post discessum Magorum, & post fugam Josephi, hanc historiam accidisse, nullum est dubium. Sed de tempore sententia variant. Quidam enim propter particulam τότης, sentiunt statim post tempus purificationis Mariæ, & post fugam Josephi hoc accidisse. Sed particula τότης apud Evangelistas saepe ita usurpa-

tur, ut non statim vel continuo, sed tempore aliquo interjecto, ea quæ ita describuntur secuta esse significantur. Alii propter mentionem δεκαετίας, altero anno, post purificationem, hæc accidisse sentiunt; utriusque sententia rationes in historia Magorum exposuimus. Lectori liberum sit eligere utram velit. Ad summam enim fidei nihil admodum refert.

HISTORIA IMMANIS CÆDIS INFANTUM, AB
HERODE PERPETRATÆ,

Matth. 2.

16. Τότε Ηρώδης, οδὸν ὅπι συεπάχθη τοσού τῶν Μάγων, ἐθυμαζθή λίαν, καὶ δοπτευτας αἰνέλε παντας τοὺς παιδες τοὺς εἰν Βηθλεέμ, καὶ εἰ παιστοῖς ὄροις αὐτῆς, διὰ διετοὺς καταπορω, Καὶ ἔχεον οὐ ηκριβώσεις τῶν μάγων.

17. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥῆμα τοῦ Ιερεμίας Γένεσις Φήτης, λέρουν.

18. Φωνὴν Ῥαμᾶ ἡκούσθη Ἱεροῦ Θυλακού θυλακού, οὐδὲ οὐδεμιός πλην, Ῥαχήλ κλαίει απὸ πεντα αὐτῆς, καὶ ηθελεις φραγκηθῆναι, οὐ δικεισται.

16. Herodes ubi vidit sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est vehementer, ac missis satellitibus, interfecit omnes pueros qui erant Bethlehem, & in omnibus finibus Bethlemiticis, quorunque essent bimuli, & minores, juxta tempus, quod exacte conoverat ex Magis.

17. Iunctum perfectum est, quod dictum fuerat ab Ieremia Propheta, cum ait.

18. Vox in Rama audita est, lamentatio, plorans & flatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea, quod non sint.

Periocha Historiae.

DE tempore hujus historiae, antea quædam annotavimus. Ex illis igitur qua die purificationis acciderant, increbuerat ubique publicus & constans rumor, puerum JESUM in templo, à Simeone & Hanna, publicè renunciatum esse Messiam. Inde intellexit Herodes, Magos fidem de reversione datam sefellisse. (In malis enim promissis rescindenda est fides: & iuramenta non debent esse vincula iniquitatis, sicut recte veteres dixerunt.) Iram igitur Tyranno dignam concepit, verbum enim θυμέως, Gen. 39 v. 19. usurpatum pro eo, quod est, exarxit furor ejus. Sed quia videbat, omnium animis, fama Magorum & testificatione Simeonis & Hannæ, excitatis & commotis, se non posse id, quod animus ira furens meditabatur, sine periculo tumultu & seditione perficere: distulit igitur in aliud commodius tempus. Quomodo vero interea, quæ ad occasionem, & commoditatim perpetrandi facinoris, facere videbantur, studiosè conquisiiterit, supra annotavimus. Potest & hoc cogitari. Cum Herodes audivisset puerum illum in templo fuisse præsentatum, diligenter ipsum inquisivisse, ubi puer ille mansisset. Sed cum nusquam in tota Judæa compareret, putavit ipsum metu forsitan occultari. Iram

igitur tunc conceptam aliquandiu dissimulavit (sicut in dissimulationibus egregium artificem ipsum fuisse Josephus scribit lib. 17. cap. 3.) ut hac occasione parentes nihil amplius timentes, puerum ex latebris rursus proferrent. Sed cum post longam dissimulationem, puer ille in Judæa nusquam compareret, cum etiam fervor populi, illustribus de puerō illo testificationibus excitatus, paulatim deferuisse videretur; Herodes altero anno, cum existimat, commodatam & occasionem, quam diu jam captiārat, adesse, facinus, quod jamdudum animo agitārat, instituit aggredi, querere scilicet animam pueri JESU. Sed quia nec ipse noverat, nec aliquis alius certò monstrare poterat, quisnam aut ubi puer iste esset, nisi quod de domo & familia Davidis, in civitate Bethlehem, natum esse intellexeret, cruentum igitur & immane hoc consilium ex cogitavit, si in civitate Bethlehem & in omnibus finibus ejus, hoc est in illis castellis, vicis & civitatibus, qua habitationi, domus & familie Davidis designatae erant, omnes parvulos trucidaret, non posse evadere puerum JESUM, quin simul interficeretur. Ne vero error aliquis in atate admitteretur, subducta suppeditatione juxta tempus apparitionis stellæ, quod ex Magis inqui-